



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXXVI. Quod clericis vel praelati non vendant vel impignorent ecclesiam  
suam consanguineis eorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

quoque & ebrietate & aliis, quibus honestas eorum deformatur, omnino clerici se abstineant vigilanter: ad quæ omnia studiose obseruanda, secundum formam Concilii generalis, a superioribus suis compellantur.

## XXXIV.

Addentes, ne clerici beneficiati, vel in sacris ordinibus constituti, in hospitiiis suis tenere publice concubinas præsumant, nec alibi cum scandalo accessum habeant ad easdem.

## XXXV.

Et si forte concubinæ eorum, monitione postea proposita, ab eis non recefferint, ab ecclesiis Dei, quas infamare præsumunt, expellantur, nec admittantur ad ecclesiastica sacramenta: & si nec sic duxerint abstinendum, excommunicationis mucrone percillantur, & tunc demum contra eas inuocetur brachium sæculare. Ipsos autem clericos per subtractionem officii & beneficii, canonica admonitione præmissa, volumus coerceri. Item licet legitima testamenta clericorum beneficiatorum decedentium volumus firmiter obseruari, nolumus tamen quod concubinis suis aliquid relinquunt in testamento suo: quod si fecerint, illud arbitrio episcopi conuertatur in vsum ecclesiæ, in qua rexit defunctus.

## XXXVI.

Ecclesiarum autem indemnitatibus consulere cupientes, præsentis Concilii auctoritate duximus statuendum, vt nullus abbas, nullus prior, nullus decanus vel archidiaconus, vel alius habens per-



ANNO  
CHRISTI  
1232.

sonatum vel dignitatem, sed nec clericus inferior, pensiones vel redditus dignitatis vel consanguineis vel amicis quibuscumque vendere præsumat, vel impignorare seu infeudare de nouo, vel quolibet modo alienare præsumat, nisi forma canonis obseruata. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit quod in hac parte præsumptum fuerit, viribus careat, & præsumptor personatu vel ecclesia, quam sic læsit, per suum superiorem spoliatur: nisi quod abalienauerit, infra tempus a suo superiore sibi præfixum, sine damno ecclesiæ suis sumptibus duxerit reuocandum. Is quoque qui sic ecclesiastica bona de cetero receperit, & admonitus præsumpserit ea retinere, excommunicationis sententia percussatur; donèc ei restituerit nullatenus absoluentus. Idem autem maiores prælati obseruent omnino.

XXXVII.

Quia sunt plerique, quod non sine lacrymis dicimus & singultu, qui omnipotentis indignationem & iram in die iræ ad perpetuam damnationem sibi cumulantes, non solum filiis & nepotibus, verum etiam concubinis suis turpiter inuadant patrimonium Iesu Christi, ad quorum vsus, quod dicto seruitio \* reputatur, in feudo laicali de bonis ecclesiæ domos construunt, in quibus ecclesiasticos proventus & bona ecclesiæ vsibus pauperum deputata congregare præsumunt; salubri prouisione decernimus, ne clerici beneficiati fructus ecclesiæ in laico \* feudo reponant: & vt melius abstineant a præmissis, de cetero domos aut pensiones laica-

\* forte indignum  
aut indecens  
reputatur,  
in feudo

\* feudo